

LVNÆ DIE 14 M. APRILIS A. 2014

A.d. XVIII Kal. Maias a. MMXIV

I 7 9

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Derædt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

HVMANITAS QUID SIT

– scripsit Gaius Licoppe –

Multis occasionibus sive audio sive lego vocabulum, quod est «humanitas»; sæpe, si sententiam, qua continetur hoc vocabulum, in Francogallicum vertere volo, nescio quo vocabulo Francogallico «humanitas» sit reddenda. Quare rem enodare statui eamque die 15 mensis Februarii proposui ut disceptationis argumentum in sessione Circuli Bruxellensis.

Videamus imprimis quid hoc vocabulo apud Romanos significetur: natura humana, ut patet, deinde summa virtutum, quibus fit ut homo præstet animali, denique benevolentia.

Ætate Renatarum Litterarum apparet locutio «classis humanitatis», i.e. in qua traduntur litteræ antiquæ; hic sensus est novus. Tum quoque fingitur neologismus «humanista», quo designatur discipulus classis humanitatis. Recentius «humanista» iam non designat discipulum, sed hominem Renascentiæ, litterarum antiquarum studiosum.

Nostris autem temporibus verbum «humanitas» sæpius etiam adhibetur sensu satis obscuro. Ut exemplum proferam, Michael Rambaud, professor Lugdunensis, in *Vitæ Latinæ* fasciculo 66 anno 1977 edito scribit hæc: «Nomen singulum unicuique rei imponere non est hominis cum humanitate communicantis sed artificis suo artis generi dediti.»¹ Aliud exemplum: cum in *Melissæ* fasciculo 177 quereretur de verbis contumeliosis contra Circulos Latinos in quadam publica acroasi prolatis, mihi responsum est oratoris verba fuisse humanitatis plena. In his duobus exemplis nescio quo vocabulo Francogallico humanitatem reddam.

Aloisius Miraglia anno 2007 magnum conventum Neapoli instituit, cui titulus fuit «Humanitas». Ne eum participarem infeliciter impediti sumus, sed Maurus Pisini relationem in interreti divulgavit, in qua scripsit conventum factum esse «ut, roborata mentis sagacitate, linguæ, quæ classicæ vocantur, novis excogitatis viis ad didacticam et philologiam quod attinet, in suum restituantur locum».²

Ergo «humanitas» apud certos homines novo sensu videtur ornari, studio scilicet litterarum antiquarum et, recentius, Renatarum; eo scripsi 'recentius', quod Michael Rambaud eiusque æquales consulto ignorabant Renascentiæ litteras neologismosque illius ætatis æque respuebant ac eos Medii Ævi.

Miraglia tamen conventum nuntiat his verbis: «Nobis hunc conventum instruendis illud propositum est, ut quam vitalis etiam nunc sit humanitatis ac bonarum litterarum vis appareat et exstet; quantum ipsa valeat ad iuvenum animos informandos; ad regendam administrandamque rem publicam; ad naturales quæstiones ratione quadam tractandas et via; denique

ad humanum genus humanius faciendum. Est enim nobis illud persuasum, nihil sine vero animi cultu humanitateque bene atque honeste geri posse; neque humanitatem ad unam pertinere ætatem a superioribus dissitam disiunctamque; edi potius quasi ex vocibus omnium hominum quæ per temporum sæculorumque decursum ad unum generis humani bonum intentæ, inter sese consonaverint una concinentes.»³ In his verbis «humanitas» idem videtur non esse ac bonæ litteræ neque animi cultus; quid ergo sit adhuc latet.

Cum in acroasi in studiorum Universitate Amstelodamensi facta Miraglia neologismos vituperat iam assuetos, ut «aeroplanum», redire nobis videmur ad vehementem contentionem de neologismis inter Michaellem Rambaud et Iosephum Mariam Mir, unum ex Academia Latinitati Fovendæ conditoribus, anno 1977 ortam. Scribebat enim Michael Rambaud hæc: «Quærendumne verbum singulum singulæ rei, singulæ notioni? Nobis quidem hoc dubitatione plenum videtur (...) Sunt res huius ætatis denotandæ, est lingua Latina antiqua atque religiose colenda (...) Ea ratione, cui adsentire non possumus, Latina quadam veste oblecta, verba recentia proferuntur. Nonne fit Latinitatis calamitas, præsertim cum iuniores istis verbis utentes, Latine colloqui se arbitrantur? Quomodo nos ipsi, in Facultatibus nostris et Lycæis, disciplinam restaurare possimus – quod opus iam incohatum est – si falsa Latinitas collegis nostris exhibeatur? (...) Tandem intellegendum est non esse maximi emolumenti ad excolendam mentem Latine quærere: bene dormisti? ubi fuisti? quid fecisti? quid pridie in cena edisti? Iuniores oblectantur; seniores atque doctiores fastidiunt.»⁴

Quanta superbia! Quantus error! Eis verbis Iosephus Maria Mir respondit hæc:⁵ «Ea quæ præclarus vir Michael Rambaud in *Vita Latina* scripsit peratento animo legi (...) Optabilis esset mihi que commodius ut tacitus rem istam præterirem silentio; sed quoniam in re, primaria agitantur principia, ac præterea ego ipse sæpe – nescio an in universa lucubratione – advocer in causa, necessarium duxi, quid sentiam, aperte explicare (...) Fuerunt quidem præstantissimi doctores nostra aut superiore ætate (in quibus clarissimus vir et magister Iulius Marouzeau), qui tenerent in hac mentis conformatione, ex optimis scriptoribus percipienda, rem totam solum modo stare: nihilque nos progredi multis conatibus et temptaminibus *ut lingua Latina 'bodie' scribamur aut colloquamur*: hæc tamquam puerorum ludi habebantur! (...) Eos, qui Cæsarem sequuntur, qui puram Latinitatem excolunt ac defendunt, qui rigidioribus in lingua Latina usur-

panda adstringuntur præceptis, qui nova respuunt vocabula...: hos præclaros viros nos demiramur, sincera reverentia veneramus, (...) sed eos suum cursum sequi libenter permittimus; nos vero in aliam ingredimur ac deflectimus viam. Qua facta viarum divisione et separatione, omnia fiunt clara.»

Idem censebat Cælestis Eichenseer, cuius fui in Latinitate viva discipulus. Lingua Latina nullius est proprietas, ne philologorum quidem; est instrumentum communicationis, quo omnibus uti licet; ne amittatur eius maximum emolumentum, quæ est pacifica universalitas, oportet locutores scriptoresque respiciant classicam grammaticam; neologismorum autem adiunctione, quæ per omne ævum fieri non desiit, nullo modo lingua corrumpitur, dum eidem secundum traditas regulas fingantur.

In conventu «Humanitas» Valahfridus Stroh, professor Monacensis, acroasin fecit «De origine vocum 'humanitatis' et 'humanismi'». Vox «humanismi», inquit, nunc omnibus in ore est, quamvis de sensu nemo consentiat. Alii humanismum esse volunt benevolentiam quandam erga homines, alii rationem hominum educandorum (nec de ea ipsa significatione omnes idem sentire videntur). Multi etiam hoc verbo utuntur ut ætatem renascentium litterarum aut similes ætates in historia hominum significant; nec desunt qui humanistas dicant eos qui se a timore Dei liberaverint. Verbum ipsum a. 1808 inventum est, ut explicat prof.

Stroh, a Friderico I. Niethammer, qui tum in Bavaria gymnasia renovare volebat. Opposuit enim ille «humanismum» ei rationi educandi, quam tum ubique vigentem nomine «philanthropismi» notavit. Humanismum dixit ad naturam rationalem hominis spectare, philanthropismum ad naturam bestialem. Vocabulum autem «humanismi», non «rationalismi» adhibens, secutus est veteres magistros qui se ipsos humanistas appellaverant, ut Petrarca, qui studia humanitatis renovavisse iam dicebatur. «Revocamur igitur, ait prof. Stroh, ad eam vocem humanitatis, quæ et ipsa duplicem intellectum habet: nam modo idem esse videtur ad παιδεία, modo quasi φιλανθρωπία. Id unde exstiterit maxima inter viros doctos dissensio est, cum alii eam notionem humanitatis Panætio Scipionum magistro tribuant, alii nativam ac Romanam existiment. Demonstrabo autem eam non vetustissimam, sed e maxima parte a Cicerone formatam et expressam esse. Qui pater aut avus non solum studiorum humanitatis, sed etiam humanismi aliquo iure dici potest.» ☞

1. Michael Rambaud, «De Latinitate religiose colenda», *Vita Latina*, 66, p. 8 sq.

2. Vide: www.vatican.va > Latinitas > Neapolitanus conventus.

3. *Ibid.*

4. *Op. cit.*

5. I.M. Mir, «Iis qui puram excolunt Latinitatem...», *Vita Latina*, 69, p. 24 sq.

QVARE VIVA LATINITAS NOBIS COLENDASIT

– scripsit Franciscus Carciotto –

Sæpe inter sessiones nostri circuli et inter conventus Quare viva Latinitas colenda esset disseruimus sed nullum perspicuum responsum accepimus. Philosophi Aurobindo cogitationes peritiles nobis esse possunt.

Aurobindo Ghosh in urbe Calcutta anno 1872 natus est. In Anglia studia excoluit et, in patriam reversus, certaminum pro Indiæ recuperanda libertate particeps fuit. Postea in vicum *Pondichéry* nomine, in India meridiana situm, confugit et ibi sodalicium adhuc florens et frequens creavit. Eius doctrina hominem ad summum munus vocari affirmat. Nam si cum divina vi, *sbakti* nomine, coniungitur, conscientiæ gradus supra mentem exstantes adipisci potest.

Mirum in modum excultus, Aurobindo qui Græcorum et Romanorum linguam callebat, antiquorum mores et disciplinas indagavit.

Censet ille omnium populorum cultum, postquam exstinctus est, eundem casum cum hominibus ferre. Nam ut uniuscuiusque animus post corporis interitum in mundum qui cerni non potest redit, animus communis quoque in se recedit inter pacis et luminis parietes una cum facultatibus et virtutibus quas adeptus est. Romanorum cultus ergo in sede exstat ad quam facilem habent aditum tantum ii quibus naturæ et conscientiæ coniunctio est. Animus communis vivit una cum magna gloria operum quæ ad effectum venerunt; ex eo loco ad mundum reficiendum valet. Hæ sunt Aurobindi cogitationes de antiquorum cultu et lingua.

Magister Indicus præterea contendit omnes qui antiquorum linguam amant et vulgant, quamvis inscii sint, ad linguæ animam accedere et ad eius lumen diffundendum auxilium ferre. ☞

RESCRIPTVM AD 'DE HODIERNO LATINITATIS VIVÆ STATV'

– scripsit Ylermi Luttinen, medicus –

Commentatio «De hodierno Latinitatis vivæ statu»
 Cinscripta a Gaio Licoppe in *Melissa* 177 mihi causam
 præbuit cogitationis: estne Latinitas viva necessaria?

Sine historia, sine cultura homines non sumus.
 Sine Latinitate historiam et culturam nostram non
 intelligere possumus. Si linguam vivam reiciemus,
 brevi tempore scientiam linguæ perdemus. Quam ob
 rem Latinitas viva servanda et colenda est. Neque
 minoris est ponderis verba neo-Latina inveniri.
 Exempli gratia in scientia medicina, zoologia, scientia
 herbarum continenter novæ dictiones necesse est componantur.
 Et vice versa, si Latinitatem vivam servamus,
 in omnibus prope linguis facilius nova verba facere
 poterimus ex fundamento Latino.

Medicus sum et Latina medicorum lingua cotidie
 utor. Terminologia anatomica, terminologia morborum,
 diagnoses, nomina operationum, curationum, medica-
 mentorum, etc. iam diu Latine scimus. Lingua Latina
 brevis, exacta, clara est. Medici ubique terrarum inter
 sese hanc terminologiam et linguam communem intel-
 legunt. Linguæ aliæ ad usum communem non sunt
 aptæ. Non omnes e.g. linguam Anglicam sciunt, quare
 errores graves efficiuntur. Et quam ob rem aliqua lin-
 gua alia, cum omnes medici iam Latinam sciunt?

In Finnia, patria mea, idem est problema. Studia
 Latina in scholis et universitatibus minuere aut omni-
 no finire volunt. Nihilo minus in terra nostra tales
 sunt philologi et amatores Latinitatis, qui etiamnunc
 lingua viva utantur. Præterquam quod scripta antiqua
 investigamus et in linguam Finnicam vertimus, scripta
 recentia e.g. e lingua Finnica, Francogallica, Germanica
 in Latinum transferimus. Etiam carmina nonnulla pul-
 chra in Latinum a Teiva Oksala, Thoma Pekkanen, Erico
 Palmén versa sunt. Professor Teivas Oksala etiam can-
 tiunculas *Rock'n roll* (Elvis Presley) et tangones Finnicas
 in Latinum vertit, easque doctor Ammondnt cantavit;
 divulgatæ sunt et ipse Papa Iohannes Paulus II eas
 observavit epistulis cum diplomate missis.

Studia Latinitatis in Finnia denuo recreata sunt.
 Pæne omnes studentes medicinæ elementis Latinitatis
 studere volunt, quamquam hæc studia non sunt obli-
 gatoria. In Commentariis Periodicis Medicorum
 Finnicorum etiam Columna Latina est, ex cuius redac-
 toribus unus sum. Studiosi sunt medici, quorum sen-
 tentias et quæstiones opinare accepimus.

Latinitas viva est, non mortua, non inutilis.
 Latinitas propter nos ipsos servanda est. ☺

LATINITAS

– scripsit Brennus Legranus –

Gaius noster in symbola sua editoris c.t. *De hodierno*
*Latinitatis vivæ statu*¹ nos instigat, ut Latinitatem
 colamus. Quævis lingua, præcipue Latina, considerari
 potest sub duobus aspectibus – scriptura et sermocina-
 tione. Maxima pars magistrorum professorumque,
 propter quos quoque politicorum, non solum Latinistas
 postromanos² reicit, quin etiam linguam temporum
 Romanorum mortuam et igitur mutam vocat, sine
 voce; Latinitatem illorum permultorum per sæcula
 celeberrimorum, qui linguam et scriptam et dictam
 tam purissimam ac emendatissimam quam Cicero et
 Virgilius callebant, repudiat.

Quamquam illam ex eruditione, cæcitate, pertinacia
 ignorantiam omnino reiciimus, si illi maximæ parti de
 linguæ Latinæ postromanæ utilitate – ita, aliquid, quod
 'utile' vocant, quærunt – persuadere non possumus,

saltem eis de linguæ Latinæ vivæ utilitate pro auctori-
 bus Romanis discendis persuadeamus, res fortasse faci-
 lior. Hunc in modum numerum adhuc parvum Latine
 loquentium augebimus, e quo sperare possumus fore,
 ut lingua postromana statum ex experientia iustum
 adipiscatur.

Talia exempla imitanda eorum, qui auctores postro-
 manos reiciunt, sed lingua Romana viva utuntur,
 adhuc habemus, inter quos melius nobis noti sunt
 Aloisius Miraglia, qui Vivarium Novum³ dirigit, nec-
 non Conradus Kokoszkiewicz, qui Gregem Latine
 Loquentium⁴ diutinum condidit. Aloisius infeliciter
 causam omnium ætatum Latinitatis apud incertos læsit,
 quam opiniones contra linguam hodiernam non solum
 inter Latinistas,⁵ sed etiam per symbolam in actis diur-
 nis *Wall Street Journal*⁶ in diversis terris iteratam

divulgaret: dissensio aperta semper favori alieno obs-
tat. Conradi inceptum pro lingua viva utilissimum in
interrete viget.

Primum omnium magistros consideramus, quia
amorem Latinitatis iuvenibus instillant. Antequam
magister lectionem linguæ Latinæ incipit, necesse ei
est quæstionem primariam explorare – utrum illa lin-
gua, etiam tantum Romanorum, lingua vera an ænigma
enodandum sit. Fertne lingua Latina sententias sens-
susque calidos, an res fabulasve frigiditas? Si ænigma
esset, quid de Didone defraudata aut de Catilina
condemnato? Quis negare possit tales litteras melius et
penitus intellegi alta voce recitatas?⁷ Præterea, si
magister ipse lingua loqui non vult aut non potest, aut
lingua aut magister aut ambo deficere videntur.

Normæ generales docendi docent studentes activos,
non passivos, discere, et præcipue ubi linguam quam-
vis et etiam ænigmaton peritias discunt. Ex exercitatio-
ne experientiaque, studens magis profunde in verbo-
rum significationibus et in grammaticæ regulis et in
eorum usu immergitur, quibus magis profunde litteras,
etiam mortuas vocatas, intellegat.

Quamobrem deinde nos Latinitatis amplioris fau-
tores oportet, non solum non dubitare loqui, sed etiam
emolumenta longe lateque linguæ activæ et vivæ pro-
clamare. Hic nonnullorum mentionem faciam, et
addam argumenta contraria, quæ sæpe auscultare pos-
sumus. Responsa contraria sæpe perspicua hic non
dabo, quamquam ea parare sed non statim aperire
debemus. Ecce quæ Gaius noster in symbola citata
liquide explicavit: «quum exerceretur iudicium» (quod
quævis lingua quoque efficit); «quum acueretur mentis
subtilitas» (quod artes mathematicæ quoque efficiunt);
«quum augetur facultas compromissi» (quod certami-
na mentalia et corporalia quoque efficiunt).

Quin etiam sunt alia emolumenta modis similibus
neganda: quum litteræ antiquæ æstimentur (quod ver-
siones vernaculas, etiam in nonnullis universitatibus,
adhuc efficiunt); quum historia classica cognoscatur
(quod libri et televisio adhuc efficiunt).

Et sunt alia emolumenta, quæ sæpe proferunt
Latinistæ seduli, quæ non omnino vera videntur:
quum normæ grammaticæ explicentur⁸ (quod lingua
Germanica Russicave quoque efficit – argumentum
etiam nostrum falsum, quia non admittit omnis linguæ
grammaticam ab aliis differre); quum origines etymolo-
gicæ linguæ explorentur (quod fontes ex aliis linguis
quoque efficiunt – argumentum nostrum falsum, quia
studentes confundit propter significationum differen-
tias inter loca et sæcula); quum verba technica legum,
religionum, medicinæ, &c., intellegantur (quæ sicut

quævis verba artium propria sunt et significationes
angustiores habent).

Sed sunt emolumenta vera et unica et credibilia:
quum lector intelligentiam firmiorem gratioremque
rectam in cogitationibus auctorum cuiusvis sæculi
(etiamsi solum ætatis Romanæ) adipiscatur; quum lec-
tor animum non solum in alius nationis sed in alius
ætatis consuetudines intendat (etiamsi alii cultus
civiles postromani omittantur); quum lector ad litteras,
philosophiam religionemque &c., eorum, qui earum
rerum in rebuspublicis hodiernis genitores sunt (etiam
antiqui), sine distortionem appropinquat.

Talia argumenta et alia propria sunt ad linguam
Latinam unius aut omnium sæculorum.

Differentias opinionum nos Latinistæ habemus et
diu habeamus, quibus conclusiones et argumenta opti-
ma emergant. Proculdubio alia emolumenta ‘utilia’ dis-
ceptando inveniemus. Sed disceptemus intra portas
clausas et non in publico, ne dubia contraria statim
inducantur. Utilia et vera et speciosa permulta pro
bono linguæ nostræ cuiusvis ætatis humiles statuamus
et illa tenaces præconemur. ☺

1. *Melissa* 177, p.1-2.

2. Hic adiectivo ‘postromanus’ utar pro lingua Latina postclassica usque ad
dies hodiernos, quia diversæ sunt definitiones; exempli gratia in verbo ‘neo-
latinus’ alii includunt auctores medioævales, alii post ætatem litterarum
renovatarum, alii usque ad annum 1800, alii usque ad ætatem nostram.
Necesse est vocabula communia condere.

3. <http://vivariumnovum.net/la/academia/academiæ-historia>

4. <http://www.alcuin.net/GLL/>

5. https://www.youtube.com/watch?v=_OyhWKTmJBo

6. <http://www.theaustralian.com.au/business/wall-street-journal/latin-lovers-sell-a-dead-tongue/story-fnay3ubk-122677326235>

7. De hac re prolixius tracto in libro electronico meo Anglice et Latine scrip-
to <http://www.bolchazy.com/Recitation-of-Latin-Prose-and-Verse-P3686.aspx>

8. Sæpissime studentes mihi dicunt grammaticam linguæ Latinæ adiuvere ad
grammaticam linguæ Anglicæ intellegendam.

DE BONO SIPHONARIO

– scripsit Stephanus Feye –

In recentissimo *Melissæ* fasciculo (n° 178, p. 2), Christianus Laes bona verba sane protulit, quæ, mea quidem sententia, cum de Latinitatis hodierno statum rixis fautoribus vitandis rectam exhibent summam. Verum pauca mihi iucunde addenda aut rectificanda vel sublineanda sunt.

In primis optime quidem suam inchoavisse symbolam videtur Christianus ab Aloisii Miraglia vocibus «inopinatis» nuncupatis. Hæ enim solæ ne dicam rixæ illius, dissensionis saltem¹ initium fuerunt. Nam talia certe nemo exspectabat. Gaii Licoppe econtra humanissimam responsonem eandemque validam recte sperare poterant omnes, qui vivæ fautores sunt Latinitatis.

Ipse etiam, verus ut leo, Aloisium defendere debbam ob *The Wall Street Journal* diurnarii me interrogantis asseverationes (qui statim ac pelliculam inspexit discordantiam animadverberat), obtestans eum hoc revera exacte putare vel dicere vix voluisse, sed potius propositum suum exemplis vehementibus imaginibusque exaggeratis illustravisse.

Tandem vero in angustum coactus, concedere debui amicis nostrum Italum paulo nimis «puristam» i.e. accuratius diligentem esse ac *cæco igni*, ut Vergilium² imiter, *carptum*...

Nam mihi Aloisium excusare pergenti nullo modo certe credidisset diurnarius!

Primo autem Christiani capitulo «Lingua Latina an sit 'utilis'» intitulo, nihil inest quidem quod reprehendam. Argumenta enim ponderosa sunt beneque exposita. Attamen unius rei me piget: *utilitas*, ut hodiernis temporibus sæpe fit, tamquam deditio illic habetur ad mores communes. Obsequium tamen erga mentem hodiernam (quæ, mihi saltem, omnino horrenda, arcenda reprobandaque videtur), non puto esse *utilitatem*, at potius opportunitatem, accommodationem.

Utilitas igitur cum præconii *efficacitate* confundi non debet, si opinionis libertatem revera servare volumus.

Ut exemplum adferam, in memoria mea manet reposita acroasis Latina a Belga quodam professore (cuius nomen tacere malo) in Finlandia prolata, qui Instituti nostri Belgici statum eiusdemque horarium omnino deminutum ac classibus Latinis orbatum describens, ne unam vituperationem quidem contra regimen nostrum ausus est vociferare, cum tamen, utpote Academicus vir, vehementer debuisset! Nescio num metus vel *utilitas* eum instinxerit necne... sed una res certa est: furore quodam Dionysiaco non movebatur ille!

Ego econtra, quotidie palam latrare, ululare, flere, dolere, clamitare et volo et pergam: lingua Latina nunc

temporis sicut antea (aut fortasse plus quam umquam antea) *utilissima* revera est in rebus cum scientificis tum litterariis philosophicisve.

Numerus itaque eorum semper auctus, quos pessimos ac magis magisque debiles viros scientificos fieri videmus, aut qui Latinitatem aspernunt, *utilitatis* diffinitionem certe non mutat. Item latrantium, ululantium, clamitantiumve evaporatio abitusque fugaque desertioque timorque *utilitatis* notionem nullum in modum inflectit.

Quin potius mecum baubaris, Christiane? Sic utilitatem immutabilem una demonstrantes, efficaciam augentes mutabimus. Posthæc non credemus iam «nos nemini esse persuasuros». Nolumus huius farinæ imbecillos, mediocres, istam grano carentem paleam ita approbare nec hortari, quæso, ut isti in errorem perseverent ne, si Augustinum sequamur, ab humanis diaboli fiant. Nonne caput superbum iam nimis efferunt? Ad lentam humilitatem igitur reducendi sunt negotiosi huius generis servi! Homo liber dicendi libertatem servet ut otio divino fruatur!

De secundo nunc capitulo: lingua enim Latina nec viva nec mortua est. Pulchrum! Optime dictum! Hoc unicum addam: Christianus, Gaius, Francisca, Valahfridus, Terentius, et ceteri plurimi nunc temporis Latine loquuntur, scribunt, legunt. Hoc tale non semper fuit. A multorum ex eis vita non fuit aliena, certe, Patris Cælestis Eichenseer (nunc vita defuncti) mirifica scintilla. Hi quidem vivunt, sed fateor, (et eis non secus ac mihi eheu! doleo) aliquando etiam moriuntur. Utinam vero posteris æque vivi vivant! Vivat furor enthusiasticus!

De tertio capitulo optime quoque scripto pauca dicam: possumusne asseverare Erasmus, si Americani istam potionem vulgarem nobis Europæis illo tempore imposuissent, de *Coca Cola* minime locuturum fuisse? Non credo! Nam de omnibus dicere solebat ille, et (quis scit?) ipse, quippe qui calculis renalibus *fruebatur*, virtutem quoque eius dissolutivam recte aut immerito forsitan laudavisset...

Quidquid id est, si *Cocam Colam* (ad eius abusum aut horribilem saporem irridendum) dissertare cupivisset ille, pro certo habemus eum sermone vulgari non, verum etiam Latino usurum fuisse.

Cum ergo dicit Christianus Miragliam «hanc traditionem», humanisticam sive humanistarum sive humanissimam dico, secutum esse, hoc non intelligendum est, ut patet, de eiusdem vituperatione nec usu sermonis Anglici optimo. Minime! Velit nolit, Aloisius ipse,

quem de telephonis gestabilibus et ceteris rebus hodiernis rectissima verba facientem sæpe audivi, de *Coca Cola* Latine, non Anglice in pellicula loquebatur. Cui nemo contradicere potest!

Veniamus ad quartum capitulum ad Institutionem Latinam pertinens: nullum hominem umquam (nisi fortasse in libris nubeculatis) Latinitatem vivam promoventem vidi, qui nedum differentiam inter scripta et sermonem quotidianum prætermittere soleret, sed etiam proprietatem linguæ scriptæ negaret.

Multi verum sunt tirones qui, licet adhuc balbutientes, in dies sedulo progrediuntur festinantque ad textus melius meliusque legendos et intelligendos. Econtra plurimi exstant, inter quos et Academici, qui, licet docti atque eruditissimi, adhuc pauca verba Latina facile vix proferre valeant. Sæpissime etiam fit ut eidem textus ipsos nimis tarde legant ac male intelligant, aut saltem sine summa, usu quotidiano vel quantitate deficiente.

Hoc sane absurdum diu fuit, est, atque erit! Si habitum suum servare cupiunt illi (quod non vitupero, quia forsitan aliæ curæ propriæque rationes eos occupant et ipsi cogendi non sunt), valde intellego eos timere ne ipsorum auctoritas, aucto Latine loquentium ac lectorum numero, minuatur irrideaturve.

Ego ex. gr., qui nec philologus nec perfectus Latinista sum, sexti decimi, septimi decimi sæculi libros iam ter in lucem edidi, quos in Francogallicum sine molestia vertere valui. Numquam autem prius milia paginarum illa vertere conari ausus essem, quam contactum habui cum Domo Latina Bruxellensi. Immo, si quis a me antea petivisset ut XX paginas a me versas divulgarem, fortasse mihi necessarii fuissent XX menses!

Periodicum c.n. *Melissa* mihi fuit præceptrix ac Domus Latina Bruxellensis, qua *tramen ferriviarium*, *reticulum interrete* necnon grammaticum usum una cum Romani imperii aut stellarum historia didici.

Fateri tamen debeo Academicum quendam mihi quondam dixisse se numquam alicui obviam iisse studentem, qui a Latinitate viva oriundus, Classicæ classes Philologiæ sequeretur. Multos econtra, qui sat bene Latine loquerentur, fuisse antea «traditæ» institutionis discipulos.

Hoc quidem argumentum magni ponderis esse videtur. Attamen hæc est vera responsio: hoc verum erat, neque est iam. Deerant enim illo tempore circuli quos Aloisius vocat «lusorios», et certe multo nimis pauci adhuc sunt hodie. Nihilominus res paulatim mutantur: nam *Schola Nova*, *Insula Latina*, et multi

alii circuli, hodiernæ Latinitatis præconio audacter contra plebem virosque politicos facto, doctores, ingeniariorum, iurisperitos excellentesque omnis generis discipulos «producent», qui nunc professorum admirationem in Universitate studiorum suscitant. Utinam illi eruditi vivi studiorum Universitates omnes invadant atque aliorum numerum superent ut Latinitatis *utilitatem* ubique (i.e. non solum in Philologiæ facultatibus...) demonstrent!

Spes occulta secretaque mihi est, ut ex officina mea quidam ingeniarius *lusorius* exeat, qui, Latinitatis Vivæ gratia *Cocæ Colæ* rector factus, saporem mutet in *Cabernet Sauvignon*... Ast tacete, precor! Tempore arteque diplomatica opus erit. Tum postea *McDonaldi* ciborum qualitatem aggrediemur ut meliores fiant...

Si ergo in dies magis magisque ita minuitur discipulorum numerus, qui in Latinos textus incumbunt, ut multi docentes munere orbentur, ecce remedium universale, i.e. lapis philosophicus omnibus patens: ad *Scholam* dico *Novam* vel *circulos lusorios* plurimos pueros, quæso, mittite. Vobis (i.e. *Vivario Novo* quoque) postea eos Bacchico furore incensos reddam, ut semper facere soleo...

Quinti denique capituli optimismum valde laudo, etsi paulo varia, mea quidem sententia, conclusio debet esse. Hanc enim legere voluissem, quam nunc proponam: eorum gratia, qui optima nova vocabula vocabulariaque finxerunt finguntque et scripta viva (utpote v.g. periodicum *Melissa* vocatum) indefesse in lucem ediderunt eduntque edentque, concordia mira et commercium humanissimum inter diversissimos totius orbis terrarum Latinistas viget.

Necessarium vix est inter nos incendium. Quod qui accendit, is exstinguat. Retractet igitur bonus Aloisius verba sua contumeliosa humanismi non plena! ☺

1. Ille enim, quamquam A.L.F. sodalis, circulos Latinos vivos, suo excepto, vehementissime irriderat. Vide

http://www.youtube.com/watch?v=_OyhWKTmJBo

2. Cf. *Æn.* IV, 2.

PERSEVERANTIA IN ERRORE

– scripsit Georgius Secher –

Ante circiter decem annos, vel plures, *Lund*, urbem universitariam in Suetia meridionali sitam, visitavi, ut propinquis et amicis familiariter uterer. Qui me præmonuerant monumentum prava lingua Latina decoratum, vel potius dedecoratum, alicubi in urbe erectum esse. Cognitione linguæ Romanorum egentes desiderabant me, Latinistam Upsaliensem, id mendum notare et Lundensibus explicare. Lapide invento, ante introitum Centri linguistici et Historiæ litterariæ Universitatis Lundensis posito, amici mei non sine exspectatione critica a me quæsiverunt: «Agedum, Georgi, ubi est mendum illud Latinum?» Egommet legebam et relegeram neque ullum mendum reperire potui. Ego me pudere, illi ridentes (fortasse) cogitare me pessimum linguistam esse, ut non Lundensem.

MVLTA RENASCENTVR QVÆ IAM CECIDERE CADENTQVE
QVÆ NVNC SVNT IN HONORE VOCABVLA, SI VOLET VSVS,
QUEM PENES ARBITRIVM EST ET IVS ET NORMA LOQVENDI.
Horatius De arte poet.

Attamen honor meus restitutus est postero die, cum alium lapidem – ehem! –, ignotum amicis meis, ante posticum eiusdem ædificii stantem ego fortuito ex autoræda conspicuissem!, continuo delictum detectum fuit:

VERBA VOLANT
SCRIPTA MANET

Administrantes universitatis certe voluerant scribere «Verba volant, littera scripta manet», sed obliti sunt vocis «littera» – ante institutum litterarium! – quod quidem effecit hoc fatale mendum grammaticum.

Una sola vox omissa, quanta calamitas, quæ catastrophæ? Sed studentes Lundenses reclamarunt vituperantque obnoxios et ego litteras effudi ad rectorem magnificentum, ad præfectum instituti, ad decanum facultatis, ad amicum eruditissimum Lundensem commemorans spatium interiectum esse vocibus «volant» et «scripta», ubi LITTERA identicis typis inscribi posset sine ullo detrimento lapidis. Lapis enim, ater et politus, profecto e longinquo allatus sine dubio multis milibus coronarum constiterat. Quid responderunt? Alius sub prætextu reverentiæ sculptricis Danæ (Kirsten Moeller Ortwed),¹ quam frustra quæsivi, respondit nihil fieri posse, alius dixit rem non sibi curæ esse, alius ob pecuniæ inopiam se nihil facere posse, alius ne respondere quidem voluit. Neminem Lundensium videlicet pudet mendum linguæ ante Institutum linguisticum scribere et scriptum conserva-

re! Sane non est inopia pecuniæ sed egestas voluntatis, egestas animi, immo est contemptus linguæ, despectus hominis proximi et dedignatio suimet ipsius in errore perseverare! Itaque hoc mendum et dedecus universitatis Lundensis hodieque manet legendum – litteris scriptum ut est! – «tamquam monumentum ætatis nostræ», ut dixit profestrix quædam universitatis Lundensis.

Sed tamen magnopere atque maius me piguit «perseverantia in errore» alicuius doctricis linguæ Latinæ, quæ præterito anno in periodico linguistico, *Språktidningen* vocato,² contendit vocem «quis» significare «is qui» et præterea formam «abita» significare «quæ abiit» et postea, cum eam vituperassem, defendit opinionem suam!³ Et in cumulum calamitatis: editor responsalis periodici *Språktidningen* primum nihil post menses respondit, deinde mihi eum telephonice vocanti correctionem meam, quamquam breviter scriptam, divulgare negavit – «difficultatis explicandi causa» ut se defendit – ignorantiam celans, ignaviam demonstrans et lectores contemnens. ☹️



1. In epistula mea ad Moeller Ortwed missa rogavi num voluisset ad probationem discentium illam tacitam quæstionem ioci loco proponere: quid deest huic locutioni hic insculptæ? (ut sunt iocabundi et faceti Dani).

2. Nr 5 2012.

3. Abire non est transitivum.

CONTRA EXTRATERRESTRES

– scripsit Marcus Cristini –

*Necesse est confiteare
esse alios aliis terrarum in partibus orbis
et varias hominum gentis et sæcla ferarum.*

His cum verbis ratus est celeberrimus poeta Lucretius (*De rerum natura*, II, 1074-1076) homines et animalia aliis in mundis esse. Is rerum ignotarum volantium studiosus (vel ufologus, ut moderni aiunt) non erat, attamen de extraterrestribus (seu de alienigenis stellaribus) cogitabat. Primo sæculo ante Christum hæc verba inusitata erant, sed hodie multi libri, pelliculæ cinematographicæ ac commentarii periodici de extraterrestribus agunt. Nonnulli homines clamitant, se alienigenos stellares vidisse vel ab eis raptos esse, sed indicia harum historiarum semper difficilia sunt creditu. Extraterrestres videntur arabæ phœnici et fidei amantum similes, quas, ut dixit Italicus poeta Metastasius (*Demetrius*, 779-782), omnes dicunt esse, sed nemo scit ubi sint. Itaque nos quoque quærere possumus: «Ubi sunt extraterrestres?». Mea quidem sententia respondendum est: «Nullo loco» vel, prudentius, «Nullo loco prope Terram». Pro re pauca loquar.

Primum factum simplex patefacere velim: si alienigeni sunt, quid opus est *Nationali Aeronauticæ Spatioque Administratione* (Anglice *National Aeronautics and Space Administration*, vulgo *NASA*)? Nam non puto extraterrestres pervenire ad planetam hominum pedibus calcantibus, ii uterentur navibus stellaribus. Præterea alienigeni non vivunt nec super Marte nec super Venere nec super Iove, nec ullo alio loco systematis solaris, sic ii, si sunt, veniunt a stella quadam propinqua, quæ amota est a Sole aliquibus annis lucis (ut dicuntur). Ad tale iter faciendum necessariæ sunt bonæ citæque naves siderales. Itaque cur, rogo, duces *Administrationis Nationalis Aeronauticæ Spatioque* non petiverunt ab alienigenis parvulam naviculam sideralem vel saltem accuratam descriptionem machinatorum eorum? Anno 2013 regimen Civitatum Fœderatarum Americæ impendit circiter 18 milliardos dollariorum itineribus sideralibus. Pusillo cum auxilio extraterrestrium hæc pecunia solvenda non erat. Nunc aliquis dixerit nos iam technologiam extraterrestrem habere et quam ob rem Americani Sovieticique repente spatiis astronomicis post Secundum Bellum Mundanum potiti sint. At naves siderales terrestrium vix Lunam adeptæ sunt, si alienigeni iisdem usi sunt, ut ad Terram venirent, quanta per sæcula erraverunt inter astra? Fautores extraterrestrium sæpe his verbis respondent alienigenos progressionem naturalem humanitatis tegere velle, ut accidit in pelliculis cinematographicis quæ *Peregrinatio*


Stellaris (Anglice *Star Trek*) appellantur, quarum personæ sequi debent *Primam Regulam* (id est ii non possunt manifesto apparere habitatoribus aliis mundis nondum progressis technologicæ). Hæc pulchra fabula est, sed historia, quæ, ut aiebat Cicero (*De oratore*, II, 36), magistra vitæ est, ostendit secreta huius generis vitam longam non habere (lectores lectricesque cogitent, exempli gratia, quamdiu atomicæ bombæ manserint arma solum Americana). Extraterrestres quidem integriores quam Cato Maior sunt, nec pecunia nec divitiæ corrumpunt eos! Insuper facillimum est, etsi machina quædam incognita sit, machinamenta eius imitari. Si navis alienigenorum vere de cælo cecidit prope urbem *Roswell* (in Novo Mexico) anno Domini 1947, quare nos, imitati miram technologiam alienam, non volamus inter stellas extremas? Sed hæc hactenus.

Nunc transire oportet ad narrationes, parum credibiles vel plane incredibiles, virorum mulierumque qui quæve adfirmant, se extraterrestres vidisse. Duo genera historiarum (vel historiuncularum) sunt: illæ eorum, qui alienigenos facie ad faciem viderint et illæ eorum, qui solum res volantes incognitas aspexerint. Primæ narrationes faciliores sunt confutatu. Nam ii, qui dicunt se cum alienigenis locutos esse, numquam indicia certa ferunt. Cur nemo, cum extraterrestres videat in horto suo, conatur eos photographare? Cur nemo accipit ab hospitibus inexpectatis minutum munus? Sunt vero alienigeni avariores quam Plauti Euclio! Insuper extraterrestres timidissimi sunt, quia patefaciunt se semper uni vel duobus hominibus in locis solitariis. Quidni naves siderales eorum super Vasingtoniam ducunt exclamantes urbi et orbi: «Salvete omnes!»? Narrationes navium stellarium sunt frequentiores et non semper facile intelleguntur. Statim dicendum est hæc genera prodigiorum non solum hodie, sed etiam antiquis temporibus facta esse (Iulius Obsequens scripsit IV^o sæculo post Christum librum prodigiorum describentem multa inusitata, inter quæ etiam nonnulla insolita lumina cæli). Pleræque res volantes ignotæ, tunc et nunc, sunt meteora, aerolithi, fulmina globosa vel alia cælestia. Interdum sunt aeroplana, helicoptera vel satellites artificiosi, machinæ quæ sæpe frequentant æthera hodierna. Deinde non tacendum est multa photographemata rerum volantium ignotarum in interreti esse. Pars magna eorum falsa sunt, alia depingunt parva signa luminosa, quæ, ut dictum est, probabiliter sunt fulmina vel meteora. Attamen alia explicantur magna cum difficultate. Sed hoc non significat, extraterrestres noctu super capita nostra volitare. Nam homines non omnia cælestia vel terrestria noscunt (feliciter, aliter

quid fecerimus nostris in vitis?). Nam quid dixisset homo Xⁱ sæculi, si cum eo locuti essemus de fulminibus globosis vel de origine electromagnetica auroræ? «Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet; multa sæculis tunc futuris cum memoria nostra exoleverit reservantur», ut ait Seneca (*Naturales Quæstiones*, VII, xxx, 5).

Hoc dicto facile comprehenditur quantum veri et quantum falsi sit in narrationibus navicularum stellarium vel extraterrestrium. At quæstio acta adhuc non est. Aliquis enim putaverit alienigenos nunc inter nos non esse, sed olim fuisse. Hic omnes fabulosas nebulasque historias de alienigenis et pyramidibus vel de alienigenis et imaginibus Nazcæ prætermitto, quorum mendacium studiosi illustres iam declaraverunt. Paucis verbis ego ostendere velim, mea opinione, extraterrestres numquam Terram adeptos esse nec sæculis præteritis nec sæculis sæculorum præteritis. Archæologi enim permultas effusiones fecerunt in omnibus locis mundi et numquam invenerunt partes navium stellarium vel res metallicas inter reliquia ævi neolithici. Si alienigeni frequentant tam libenter mundum nostrum, cur nemo reperit fibulas metalli incogniti vel spicula magnetica? Cur nemo reperit signa domorum inter ossa dinosaurorum? Cur nemo reperit aliqua arma alienigenorum una cum corporibus antiquorum animalium? Accidit sæpe, ut pila inveniantur inter ossa elephantorum primigeniorum vel, recentiore tempore, ut metallicæ glandes in bestiis necatis. Nonne alienigeni utuntur solum manuballisticis lasericis? Licet hoc sit, at quare numquam signa eorum inventa sunt super plantis vel animalibus fossilibus?

Igitur alienigeni, si umquam Terram adepti sunt, cautissimi fuerunt, quasi pavida spectra essent. Sed fautores alienigenorum dicere possunt amicos suos numquam mundum nostrum tetigisse, nescio quid, fortasse quia felium modo aquam non amant. Sed, igitur, ubi sunt? Telescopia ostenderunt non solum civitates alienigenorum in mundis systematis solaris non esse, sed etiam planetas nobis notos omnino vita carere. Sic iterum quæro, ubi sunt extraterrestres? Latentne in stellis remotis et veniunt usque ad nos aliquando, ut aiunt amici eorum? Et cur nemo invenit reliquias navium sideralium eorum vel satellitum artificiosorum eorum? Homines per universum paucis annis erraverunt et iam cæli circum Terram pleni sunt partibus veterum vehiculorum sideralium. Insuper signa extraterrestrium numquam reperta sunt in superficie Lunæ vel Martis vel lunarium Iovis. Astronomi spectant ab pueritia humanitatis hæc cælestia magna cum cura et vicesimo sæculo multi satellites artificiosi



(vel percontata) atque telescopia inspexerunt illa sidera errantia prope, sed illic est nihil, ne parvulum alienigenorum vexillum quidem.

Nunc agendum est de extremo argumento magni momenti ad præsentiam extraterrestrium negandam vel adfirmandam, id est de radiis vel emissionibus radiophonicis. Nam multi putant civitates stellares progressas uti emissionibus radiophonicis quibusdam ut certiores faciant populos suos de eventibus, calamitatibus et nuntiis. Anno Domini 1974 orta est in Civitatibus Fœderatis Americæ societas astronomica quæ appellatur SETI (*Quæstio ad Extraterrestres Mentis Inveniendas*, Anglice *Search for Extra-Terrestrial Intelligence*). Usque ad diem hodiernum astronomi inspexerunt miliens milia emissionum radiophonicarum, sed invenerunt nihil. Homines habent radiophona ab initio XXⁱ sæculi et interea inundaverunt universum permultis cum radiis radiophonicis, non incredibile est civitates alienigenorum hoc fecisse per innumerabiles annos, sed, iterum, ubi sunt? Ubi sunt emissiones radiophonicæ eorum? Quare non audimus voces alienigenorum peregrinantium inter astra et planetas?

Ob hæc multa argumenta mea quidem sententia dicere licet alienigenos prope Terram esse nusquam vel, sic fateri ausim, esse omnino nusquam, præter unum locum, id est in mentibus hominum. Sed certo fautores alienigenorum usque ad consummationem sæculi arcana lumina in cælo visuros esse et ea naves siderales appellaturos esse. «Extraterrestres sunt!». Immo meteora. «Extraterrestres sunt!». Immo satellites artificiosi. «Extraterrestres sunt!». Immo humilia aeroplana. «Extraterrestres sunt!». Immo terrestres, si cogitaveris quantum licere phantasie hominum! ☞☛

EPISTVLA DE TOLERANTIA

A IOHANNE LOCKIO CONSCRIPTA CVIVS MOMENTI SIT HIS DIEBVS

- scripsit Lucas Willemarck -

Epistula de tolerantia a Iohanne Lockio conscripta est et in lucem edita anno MDCLXXXIX Goudæ in urbe sine nomine, cum exsul ad Batavos ex patria fugeret atque Amstelodami libenter tecto receptus erat a doctore medico Venio. Nomen auctoris nota secreta conditum libro impositum latebat in litteris PAPOILA obscuris, quarum vera significatio tandem multis post annis inveniebatur. Re vera significant Pacis Amico Persecutionis Osore Iohanne Lockio Anglo.

Fundamentum totius rei pendet a distinctione faciendâ inter societatem politicam et religionem, quarum fines multum inter se differunt, quia altera spectat ad res civiles ordinandas recte iusteque regendas, altera tantum spectat ad salutem animarum. Iam Hobbes dixit hominem homini esse lupum, unde necessitas orta est ineundæ cum aliis societatis, ut mutuo consilio et iunctis viribus sua cuique privata et secura sit possessio. Res publica videtur societas hominum solum ad bona civilia conservanda promovendaque constituta. Bona civilia Lockius vocat vitam, libertatem, corporis integritatem et indolentiam et rerum externarum possessiones ut sunt latifundia, pecunia et cetera. Magistratus officium est pacis servandæ omnibus et libertatis unicuique, quod ut faciat vi armatus est, toto scilicet subditorum suorum robore.

Ecclesia contra est libera et voluntaria societas sponte sua coeuntium, ut deum publice colant eo modo quem credunt numini acceptum fore ad salutem animarum. Hæc est eius definitio ecclesiæ unde colligit quod sequitur. Homo nulli a natura obstrictus ecclesiæ, nulli addictus sectæ, illi se sponte adiungit societati ubi veram religionem cultumque deo gratum credit se invenisse. Quod si deprehenderit aliquid vel in doctrina erroneum vel in cultu incongruum, eadem libertate, qua ingressus est, semper pateat exitus necesse est. Finis societatis religiosæ est cultus dei publicus et per eum vitæ æternæ acquisitio. His finibus circumscribuntur omnes leges ecclesiasticæ. Lockius addit nihil in hac societate agi nec agi posse de bonorum civilium possessione. Nulla hic quacumque de causa adhibenda vis, quæ omnis ad magistratum civilem pertinet.

His positis e principiis patet nullam contradictionem esse posse inter ecclesiam et societatem civilem, ne in actu exercito quidem.

Re vera aliter se habent res, quod sæpe fit ut quælibet ecclesia sibi orthodoxa videatur aliis erronea vel hæretica. Siquidem orthodoxiam colentes alias sentientes hæreseos damnant, inter utramque re vera lis æqua est et nulla iudicis sententia componi potest, quia de dogmatum veritate et de cultus rectitudine iudicare nullo modo est magistratus civilis.

Ea de causa Lockius existimat inter res civitatis et religionis distinguendum esse limitesque inter ecclesiam et rem publicam rite definiendos, ut inutilia et periculosa iurgia vitentur. Quæ cum Lockius adfirmavisset, omnes disputationes de dogmatis cultibusque in colloquiis ab omni vi cogente liberis solvendas esse credit. His positis, intellectu facile est potestatem civilem non debere articulos fidei sive dogmata vel modos colendi deum, lege civili præscribere.

Morum rectitudo, in qua consistit non minima religionis et sinceræ pietatis pars, etiam ad vitam civilem spectat. Utrique subicitur imperio, scilicet magistratui et conscientiæ. Tamen cavendum est ne negatæ conscientiæ adiciatur vel verborum contumelia vel violentia. Vis enim tota, ut dictum, magistratus est, nec privato cuivis permissa, nisi solum ut illatam repellat. Ea omnia ad civilem statum pertinent et magistratus tutelæ subiciuntur. Quamquam si verum dicere volumus, facilius plerumque se ecclesia accommodat aulæ quam aula ecclesiæ.

Si quis pontificius credat id corpus re vera esse, quod alius panem vocaret nullam iniuriam facit vicino. Si Iudæus non credat novum testamentum esse verbum Dei, nulla mutat iura civilia. Tamen non opinio-num diversitas quæ vitari non potest, sed negata diversa opinantibus tolerantia, pleraque quæ in orbe christiano nata sunt de religione iurgia et bella produxit. Contra leges evangelii, contra caritatis monita auctoritates ecclesiasticæ schismaticos hæreticosque spoliandos exterminandosque prædicaverunt, ita duas res diversissimas miscentes ecclesiam et rem publicam. Lockius tamen adfirmat tolerantiam eorum qui de rebus religionis diversa sentiunt evangelio et rationi adeo consonam esse.

Nam si hic sit genius, hæc natura ipsius religionis christianæ, ut turbulenta sit et paci civili inimica, fieri non potest quin aliquando non fiat innocens. Magistratui autem licet leges ferre ad ordinem publicum servandum in rebus, quæ indifferentes sive «adiafora», ut aiunt Græci, iudicantur atque ea de causa neque bonæ neque malæ e conspectu legis divinæ revelatæ legisque naturæ habentur. Non tamen inde sequitur ut licitum sit magistratui de quavis re indifferente quodcumque placuerit statuere. Legum ferendarum modus et mensura est publicum commodum. Si quid rei publicæ non fuerit usui utcumque sit res indifferens, non potest illico lege sanciri. Quæ domi et in civili vita non sunt licita, itaque nec in cœtu aut cultu religioso. Si vero vitulum immolare in cultu divino licet, id lege prohibendum esse negat Lockius.

Magistratus solum prospicere debet ne quid detri-

menti res publica capiat, ne alterius vel vitæ vel bonis fiat damnum. Quid si edicto iusserit magistratus quod privatæ conscientia videatur illicitum? Lockius respondet abstinendum privata ab actione quæ ipsa dicente conscientia illicita sit.

Nihilominus addit privatum cuiusque iudicium legis in bonum publicum et de rebus politicis latæ, non tollere obligationem legi parendi nec mereri tolerantiam.

Quod Lockius nos docuit illam doctrinam tolerantia proponens, inquiramus nobisne ulli sit utilitati ad componendas controversias variarum religionum, quibus etiam nostris diebus societas laborat. Etsi inter christianos vis istius generis iurgii diminuta sit neque in Europa occidentali raro ingravescat in bellum religiosum nisi in Hibernia, restat tamen ut doctrina separationis rei publicæ et ecclesiæ utilissima sit ad discordias componendas, quæ diiudicari nequeant nisi suam utraque sequatur regulam et res publica et ecclesia.

Hodie similitates principaliter oriuntur e difficultatibus religionis islamica aptandæ societati hodiernæ, quia in Europa occidentali quidem, res publica neutri parti est neque aliam religionem alii anteponit, sed nihil aut huic aut illi parti assentitur. Theologia islamica, cum non sit eo tractabilis ut accipiat sensum per similitudinem cuiusdam verbi scripturæ sacræ, sed verbum pro verbo reddat, fieri non potest quin dissensiones oriuntur magistratui cum islamicis fidelibus, quippe qui respuant methodos hodiernas scripturæ sacræ interpretandæ.

Re vera fit ut religio islamica non semper servet distinctionem faciendam inter societatem politicam et religionem, quarum fines multum inter se differunt, quia altera spectat ad res civiles ordinandas, altera tantum spectat ad salutem animarum. Quotiescumque limites inter ecclesiam et rem publicam non rite definiuntur, sicut docuit Lockius, necessario iurgia oriuntur. Exempli gratia lex islamica severissime punit quemvis islamicum suam ipsius religionem abdicantem. Ita negat essentiam ecclesiæ, quam Lockius definiit libertate ingrediendi atque exeundi. Libertas religionis eligendæ et mutandæ a catholicis accepta est in secundo concilio Vaticano, sed ab islamicis usque ad hunc diem negatur.

Quæ cum ita se habeant, sunt plura Alcorani præscripta contraria iuribus hominis, quæ singulatim enumerantur unitarum nationum pactionibus quorum inter alia libertas religionis eligendæ. Hæ pactiones comprobatae sunt a plurimis civitatibus omnis generis totius orbis terrarum, quarum in constitutionibus fundamenta habentur legum de iuribus hominis tuendis ferendarum.

Insuper in Europa cives tenentur Europæo fœdere iurum hominis tuendorum, cuius articulus nonus instituit libertatem religionis. Religio islamica autem totam vitam sociale civitatis regit, neque eo contenta

est quod de dogmatum veritate et de cultus rectitudine iudicare valet, sed multo plus vult, unde sequitur ut facile fiat ut eius præscripta contraria sint legibus ad bonum commune civium latis. Quam ob rem declaratio islamica iurum hominis anno 1990 edicta præscribit articulo 25 ut lex «sharia» unicus sit fons interpretationis cuiusvis articuli ex iuribus hominis explicandis.

Nonnulla islamica præscripta erga mulieres exempli gratia contraria sunt his legibus civilibus. Quæ præscripta spectant ad religionem et ad vitam civilem lege civili ordinatam quoque, unde sequitur ut in utraque versetur animarum simul et rei publicæ salus. In tali ambigua re Lockius non dubitat quin ordo civilis anteponendus sit conscientia religiosæ, quia profitetur privatum religiosum cuiusque iudicium de lege in bonum publicum lata non tollere obligationem legis observandæ nec mereri tolerantiam. Si bona fide administretur res publica et ad bonum commune civium re vera dirigantur magistratus consilia, hoc raro eventurum est. Quod si eveniat, in casu mulieris islamicae matrimonio coniunctæ, ubi præscriptum islamicum iuri civili opponitur, secundum Lockii doctrinam lex civilis præscriptis islamicis anteponenda est.

Multa exempla talis oppositionis inter præscripta islamica et leges civiles adferri possunt.

Quod ut clare pateat sufficit ut inspicias præscripta «suræ Alcorani» quibus uxor obnoxia sit.

Viro licet puellam matrimonio sibi iungere sexu impuberem (S 65,4). Viro licet uxorem repudiare etsi uxori non licet conjugem repudiare. (S 65,1). Viri testimonium valet dupliciter (S 3,282). Hereditas uxoris est dimidia pars viri (S 4,176). Religionis abdicatio morte mulctatur (S 9,11-12). Adulterium multis in locis «sharia» mulctatur lapidatione.

Si agatur de obligatione mulieris veli sibi imponendi dubitatio est, quod sunt qui censeant lege civili nihil hac in re præcipiente, hoc pendere a libera voluntate cuiusque mulieris, alii contra iudicent hoc esse signum mulieris obsequii intolerabilis, quod coniugum æqualitati contrarium habeatur.

Problema in eo est ut res publica in Europa occidentali in rebus religiosis neutrius religionis est, ut eo melius societatem pluralem, ubi homines variarum religionum una vivunt, moderetur, quod facere non potest nisi ad rationes neutrius religionis se adiunxerit, atque lex civilis suprema habeatur ad discordias componendas.

Ut ecclesia catholica tandem in secundo Vaticano concilio agnovit libertatem religionis, theologia hodierna eiusque libera interpretatione sacræ scripturæ adiuvante, ita oportet religio islamica quoque operam det ut suam doctrinam accomodet hodiernæ societati.

Quod nisi fiat pax religiosa dubia remanebit. ☪



Quærenti tibi, vir clarissime, quid existimem de mutua inter Christianos tolerantia, breviter respondeo, hoc mihi videri præcipuum veræ ecclesiæ criterium. Quicquid enim alii iactant de locorum et nominum antiquitate, vel cultus splendore, alii de disciplinæ reformatione, omnes denique de fide orthodoxa,

nam sibi quisque orthodoxus est, hæc et huiusmodi possunt esse hominum de potestate et imperio contendendum, potius quam ecclesiæ Christi notæ. Hæc omnia qui possidet, si charitate destituatur, si mansuetudine, si benevolentia erga omnes in universum homines, nedum fidem Christianam profitentes, nondum est Christianus. *Reges gentium dominantur iis; vos autem non sic, Luc. XXII*, dicit suis Salvator noster. Alia res est veræ religionis, non ad externam pompam, non ad dominationem ecclesiasticam, non denique ad vim, sed ad vitam recte pieque instituendam natæ. Primo omnium vitiis suis, fastui et libidini propriæ bellum debet indicere, qui in ecclesia Christi velit militare; alias sine vitæ sanctimonia, morum castitate, animi benignitate et mansuetudine, frustra quærit sibi nomen Christianum. *Tu conversus confirma fratres tuos, Luc. XXII*, dixit Petro Dominus noster. Vix enim quisquam persuadebit, se de aliena salute mire esse sollicitum qui negligens est suæ: nemo sincere in id totis viribus incumbere potest, ut alii fiant Christiani, qui religionem Christi animo suo nondum ipse revera amplexus est. Si enim Evangelio, si Apostolis credendum sit, sine *charitate*, sine *fide per amorem*, non per vim, *operante* nemo Christianus esse potest. At vero illi qui religionis prætextu alios vexant, lacerant, spoliunt, iugulant, id amico et benigno animo agant, ipsorum testor conscientiam; et tum denique credam, cum zelotas illos videro amicos et familiares suos, contra Evangelii præcepta manifeste peccantes, eundem in modum corrigere; suosque asseclas vitiorum corruptela tactos et sine mutatione in meliorem frugem certo perituros, ferro et igne aggredi; et amorem suum atque salutis animarum desiderium omni crudelitatis et tormentorum genere testari. Si enim, uti præ se ferunt, charitate et studio erga eorum animas, bonis exuant, corpora mutilent, carceres et pædore macerent, vita denique ipsa privent, ut fideles, ut salvi fiant, cur *scortationem*, ver-

sutiam, *malitiam* et alia quæ *Ethnicismum* tam aperte sapiunt, testante Apostolo, *Rom. I*, impune inter suos grassari permittunt? cum hæc et huiusmodi magis adversentur Dei gloriæ, ecclesiæ puritati et salutis animarum, quam erronea quævis contra decisiones ecclesiasticas conscientiæ persuasio, vel in externo cultu defectus cum vitæ innocentia coniunctus? Cur, inquam, zelus ille pro Deo, pro ecclesia, pro salute animarum usque ad vivicomburium ardens, flagitia illa et vitia moralia Christianæ professioni, omnibus fatentibus, e diametro contraria, sine castigatione, sine animadversione præteriens, in corrigendis opinionibus, iisque plerumque de rebus subtilibus, vulgique captum superantibus, vel ceremoniis ingerendis unice hæret et omnes nervos suos intendit? Quæ inter dissidentes de his rebus sanior sit, quæve schismatis vel hæreseos rea, an dominatrix vel succumbens pars, tum demum constabit, cum de causa separationis iudicabitur. Qui enim Christum sequitur eiusque amplectitur doctrinam et iugum suscipit, etiamsi patrem et matrem, patrios ritus, cœtum publicum et quoscumque demum homines relinquat, non est hæreticus.

Quod si sectarum divortia adeo adversentur salutis animarum, *adulterium*, *scortatio*, *immunditia*, *lascivia*, *simulacrorum cultus et his similia*, non sunt minus opera carnis, de quibus diserte pronuntiat Apostolus, quod *qui talia agunt regni Dei hæredes non erunt, Gal. V*. Hæc igitur non minore cura et industria, quam sectæ, penitus extirpanda, si quis de regno Dei sincere sollicitus in eius pomeriis ampliandis sibi elaborandum serio iudicaverit. Quod si quisquam aliter fecerit et dum erga diversa sentientes immitis et implacabilis est, peccatis interim et morum vitiis, Christiano nomine indignis, parcat, palam demonstrat quantumvis crepat ecclesiam, se aliud, non Dei regnum quærere.

Si quis animam, cuius salutem vehementer optat, velit per cruciatum, etiam nondum conversam, efflari, mirabor sane et mirabuntur, puto, mecum alii; sed ita tamen, ut nemo usquam credat hoc ab amore, a benevolentia, a charitate posse proficisci. Si homines igne et ferro ad certa dogmata amplectenda sunt impellendi et ad externum cultum vi cogendi, de quorum tamen moribus nulla omnino sit quæstio; si quis heretodoxos ita convertat ad fidem, ut cogat ea profiteri, quæ non credunt, et permittat ea agere, quæ Evangelium Christianis, fidelis sibi non permittit; illum velle numerosum cœtum eadem secum profitentium non dubito; velle autem ecclesiam Christianam quis est qui potest credere? Non mirandum igitur, si utantur armis militiæ Christianæ non debitis qui, quicquid præ se ferunt, pro vera religione et ecclesia Christiana non militant... ❧

QVID ALTERA SCRIPSERIT

– scripsit Tzimmakos Richard –

Amalia Tzimmako s.p.d.

Ad te scribere multum cunctata sum et demum, etsi haud nescio quidnam penna hanc epistulam pluries et pluries iteratam scribat, impetus iam non tenetur. Imprimis mihi rogandum est utrum Tzimmakum an insanum te vocare oporteat. Nam propter multas causas certa sum te amentia affici, sed, antequam te vituperem, quæ sententiam meam finxerint mihi explanandum est.

Quando primum occurrimus atque de pueris ludendis mihi non opus est narratu. Confiteor etiam me paululum de facie tua, id est, ore et oculis velut pisceis apertis, derisisse. Nonne ad ridendum ridicula exstant? Sed quoniam hac de re non referendum est, quæ postea eventa sunt memorabo.

Fere post mensem, cum media in urbe deambularem scholam petitem, continuo manu velut vulturis unguibus captum est brachium ac duos oculos quodam furore ardentes conspexi.

Quamquam per tale actum amentiae vestigium discernendæ cernitur, insania autem ut historia doctura est, huc non desistit.

– Volo brachium mihi reddas, inquam, paululum irata quod artus mihi maxime doluit virque aliquis modo tam rustico egit, sed præsertim obstupefacta quod oculi bubonis me veluti prædam spectabant.

Imprimis haud motus es, ceu phantasma tibi adstaret. Et paulatim manum sensi prædam deprehendere. – Quare ita me spectas? Num spectrum horrendum videor?

– Des mihi veniam quod... tibi... atrocem oculum... vulnus atrox dicam! Minime! Quia ambo attuli!

Quoniam infantis instar balbutiebas, risum comprimere nequii. Mares sæpenumero tam turpes videmini.

Confiteor quidem me paululum horrescentem videri solere. Quid aliud nisi implicationem molestam in pectoribus vestimenta coriacea atraque ac anguis cinereus super humero pictus iniiciunt? At lumina mea homines in lapidem non mutant neque capilli mei sunt sibili feri.

Primo territus eras, dein risus e faucibus tuis resonavit. Postea, risus utrius spectantis ut simulacri ridiculi e marmore adstantis, quod neuter sermonem incipere audebat, fortior indomabilisque per totam viam strepuit. Dic mihi, quid aliud nisi amentia ita mentem tuam habitat ut res tam stultæ exortæ sint? Feliciter res tam ridicula pudorem ac metum compellit e pectoribus, et inter nos, ut mos est, apertius collocuti sumus.

Imprimis, cum in sermonem ingressi essemus, pau-

lum miratus es quod mihi difficile recte Gallice loqui fuit, sed accentui gradatim assuevisti. Nonne scis quam horribile ac quantam molem discere sermonem Gallicum exigit? Quin Hungarice, lingua mea, loquaris? Quæ audivi me multo magis stupefecerunt: quærere unde studium litterarum Græcarum Latinarumque in te inflatum sit non desino, sed nullam causam invenio. Quo sæculo vivis ætate antiqua diu finita? Quo linguas mortuas discis, cum iis numquam utaris præter opera cuiusdam Ciceronis tædiosa legenda? Nonne voluptate frueris cervesiam bibendo cum amicis vel saltatum eundo, ut iuvenibus mos est?

Quidnam es, o bestia aliena?

Quæ vis in oculis ardeat autem perspicio, cum de studiis tuis disseris. Nulla ratio nec ulla sapientia sed rerum amor colendarum in verbis tuis tamquam sol humum illustrat me recalfacit. Utinam talis ardor adhuc in hominum pectoribus vigeret. Ille cultus mysterio est huic puellæ quæ diei carpenti causa vivat. Studeo artibus medicinalibus in Belgio ut munus probum in Hungariam regressa adipiscar et operam dabo ad vivendum et delectationem habeo ut molem vitæ quotidianæ leniam, saltando bibendoque cum amicis. Quid aliud a vita expectem?

Enimvero post epistulam scriptam denique inveni quæ verba mihi in chartam candidam pangenda fuissent. Nam multis de rebus collocuti sumus ac iam satis constat te insania, morbo Latinitatis, affici. Sed alterum morbum, quem lumina urentia proderent, tacuisti: quin epistulam tuam non commemoravisti? Cur quæ e pectore exprimenda sunt omnino comprimuntur sepeliunturque? Num sagittam credis scopum non attingisse? Sed mea attingit.

Isti ludunculo libenter me trado. ☞

Amalia

DE MAHABHARATA

– refert Gaius Licoppe –

Guy Vincent, litterarum doctor, Latinitatis cultor necnon fidelis *Melissæ* lector, præsertim est vir linguæ Sanscriticæ peritus, qui una cum Gilles Schaufelberger, ingeniaro scholæ polytechnicæ Turicensis (*Zürich*), primam translationem Francogallicam totius carminis epici Indiæ, *Mababharata* vocati, perfecit. Domus editoria Orizons Parisiis publicavit primum operis tomum, quo continentur «Liber de ortibus» et «Liber de Coetu».¹


Hæc maxima translatio Francogallica est opus ingens, cui auctores operam dare cœperunt ante amplius triginta quinque annos. Quod mirum non est, si consideramus *Mababharatæ* traditionem esse multiplicem; editio critica constat e 160 milibus versuum, sed editio Indiæ meridionalis e 200 milibus constat; repetitiones et interpolationes non desunt; difficulter etiam intelleguntur non pauci loci.

Complures editiones exstant ab undevicesimo sæculo in Indiæ urbibus septentrionalibus factæ; editio in parte meridionali quoque facta est, quæ nititur textibus harum regionum.

Annis 1929-1936 apparet editio commixta a Nilakantha iam septimo decimo sæculo facta, quæ est inter ceteras media; habetur ut «Vulgata» et a plerisque est adoptata. Cum hoc opus tamen non videtur perfectum, grex eruditorum Indorum et Occidentalium ingens opus anno 1933 incohavit, quod anno demum 1972 perfectum est; hæc est editio critica a Poona vocata. Ad operis difficultates monstrandas dicam, pro libro I v.g. esse 235 manuscripta, quorum 70 tantum adhibita sunt; quæ interdum a scribis oscitantibus vel parum eruditis transscripta sunt, qui locos sibi non intellegibiles mutabant in alios.

Editio critica a Poona vocata usi sunt auctores nostri ad faciendam translationem Francogallicam. In præfatione libri explicatur quid sit *Mababharata*. Imprimis, sicut *Ilias*, est narratio cuiusdam belli; quod oritur inter duos ramos eiusdem familiæ, qui regnum appetunt; propter fœdera cum vicinis regnis facta bellum propagatur, fit generale quin etiam cosmicum, unde oritur ingens internecio; superstites mærent et decursu totius poematis apparet maximus conatus, quo hoc bellum intellegatur purgeturque.

Historia Indis non erat magnæ curæ, quare semper difficile est accurate scire quando aliquid in India evenit. Idem fit de *Mababharata*; hoc poema non uno tempore pactum est; incohatum est inter quintum et primum sæculum a.Ch.n. ac perfectum quinto sæculo p.Ch.n. Lingua carminis est Sanscritica classica, quæ iam longe differt a lingua sacrorum textuum *Veda* appellatorum. *Mababharata* multum iuvat formationem



Arjuna Jaybratham necat sagitta sua cælesti (Wikipedia)

huius linguæ classicæ. Hoc epos publice recitabatur, fortasse iam antequam conscriptum est.

Bharata adhuc hodie significat Indiam; *Mababharata* Indis est narratio magnorum eventorum facinorumque Bharatæ progeniei.

De poematis auctore nihil certi; mythicus auctor, Vyasa nomine, verisimiliter non sufficit; complures videntur fuisse auctores.

Quando autem narratum bellum evenit, scire non possumus; fortasse agitur de bello mythico. Magis probabiliter est memoria regulorum inter se continuo bellantium vel repugnantium invasoribus Arya, qui e valle fluminis Indi progrediebantur in vallem fluminis Gangis, ubi sedem collocaverunt inter annos 1000 et 800 a.Ch.n.

Ceterum epos *Mababharata* præter bella etiam colligit cogitationes religiosas, philosophicas, politicas, metaphysicas atque regulas morales, fabulas, mythos, narrationes, etc. Hac de causa diffusum est in totam Asiam meridionalem orientalemque.

Maxima difficultas, cui occurrunt *Mababharatæ* interpretes, pendet ab innata linguæ Sanscriticæ obscuritate (sive hermetismo); vocabulorum enim polysemia sinit sententiarum duplicem sensum, unde oriuntur assuetæ obscuritates Indici scribendi modi. Interpreti ergo eligendum est inter complures significationes, id quod plerumque contextu non facilius redditur. Occidentalis interpret ænigma singularum sententiarum solvere debet cumulas periphraſes tollendo; sic tamen ea solvit, quæ linguæ ingenio coalescebant; forma grammaticalis intricata, quæ ænigma gignebat et textum illuminabat, dissolvitur in nuntium simpliciter

expressum. Quæ cum ita sint, non mirum si multæ sunt *Mababbaratæ* interpretationes. Exeunte undevicesimo sæculo apparuerunt primæ theoriæ de eius significatione.

Theoriæ historicæ studiosi suspicantur eventum historicum esse fundamentum; fortasse agitur de contagione duorum populorum, duorum cultuum, i.e. priorum Dravidiorum agricularum et posteriorum pastorum Indo-Europæorum.

Theoria mythologiæ naturalis præsertim retinet quinque poematis heroes congruere cum quinque anni temporibus: inter eos deus Krishna est sol veris, vetus cæcusque rex Dhartarastra est sol hiemis.

Theoria alia est religiosa: nucleus carminis est buddhicus, sed brahmani cogitationes buddhicas expurgant. Tempore enim quo elaboratur *Mababbarata* imperat toti fere Indiæ magnus rex Açoka (II s. a.Ch.n.),

qui magnam operam dat ad buddhismum diffundendum; sed postea brahmani buddhismum valent e tota fere India pellere.

Præterea theoria quædam astrologica etiam exstat, necnon paucæ aliæ.

Ut patet, *Mababbarata* hodie est fons inexhaustus investigationum omnis generis, cum antiqui auditores verisimiliter potius delectati sint versuum musica portentosisque narrationibus, eo gratioribus quo obscuriores erant... ❧

i. *Le Mababbarata. Le Livre des Commencements. Le Livre de l'Assemblée*, textes traduits du sanskrit par Gilles Schaufelberger et Guy Vincent, tome I, Paris, Orizons, 2013.

MIRACVLVM

– scripsit Vinfridus Czapiewski –

Aliquando in itinere ferriviario sedi in compartimento iuxta iuvenem, qui tristissimus simulque commotus esse videbatur. Tantopere perturbatus erat, ut in sede sua manere non posset.

Subito exclamavit: «Propter scelera diu in carcere eram. Nunc pœnis persolutis in libertatem dimissus domum redire cupio. Sed nescio, num parentes me recipere velint! Tot annos me numquam visitaverunt et raro litteras miserunt! Solum in festum Natalicium pauca verba scripserunt. Filium hominem sceleratum esse pati non poterant – omni spe deiecti et desperati sunt!

«Nuper epistula eos imploravi, ut veniam mihi darent – et si id vellent, mihi exiguum signum benevolentiae offerrent: iuxta viam ferriviarum, qua nunc vehor, grandis arbor, malus pulchra, stat, prope villam

patriam. Si parentes mihi ignoscere parati sunt, tœniam flavam in arbore nectant, ut hoc signo veniam eorum cognoscam. Si autem tramine prætervehens in ramis nihil conspexero, certo sciam me ab eis in æternum reici. Si id fuerit, domum non revertar, sed semper per orbem terrarum errabo!»

Quibus verbis dictis tramen vico parentum celeriter appropinquat. Iuvenis in minutas magis trepidat, tremat, non iam per fenestram spectare audet. Ego misericordia commotus mutavi sedem et pro eo per fenestram procul malum designatam oculis quæro. Et subito adest: arbor tota tœniis flavis erat ornata! «Ecce» exclamavi «ecce!» Iuvenis lacrimis perfusus exsilit dicitque submissa voce: «Nunc omnia fiunt bona!»

Miraculum factum esse putavi. Et fortasse revera miraculum fuit! ❧

DE NOVIS LIBRIS

Brian BISHOP (Brennus Legranus), *Recitation of latin prose and verse. De prosæ ac poesis recitatione in lingua Latina*, Mundelein, Bolchazy-Carducci Publishers, i-Podius Agora, 2012, 83 p.

Hoc libello auctor et docentibus et discentibus instrumentum præbere voluit, quo melius legere et recitare scirent. Textus enim Latinos per se non esse «ænigma enodandum», sed potius – quod nullus *Melissæ* lector infitiabit – «res, quæ etiam gaudium præbeant et penitus sentiantur». Id est: non solum legendo et scribendo, sed etiam audiendo et loquendo. Nonne recte professus est Comenius (p. 4): «Omnis lingua usu potius discatur quam præceptis, id est, audiendo, legendo, relegendo, transscribendo, imitationem manu et lingua tentando quam creberrime.» In hunc scopum Brennus Bishop ex omnibus sæculis excerpit et opportune in unum collegit auctorum cita lectu digna, nonnumquam inventu non ita facilia.

Sic fit ut Cicero, Quintilianus, Hieronymus, Vergilius, Ovidius, Catullus, Horatius, Erasmus, Nietzsche, multi alii una afferant argumenta de necessitate alta voce legendi deque modo recitandi orationem tam strictam quam solutam.

Quod ad carmina declamanda pertinet, inter multa consilia, auctor præcepta utilissima proponit Valahfridi Stroth, professoris huius artis egregie periti: versus ita tractandos esse ut musicam (p. 60). Me miseram, quæ in schola longe aliter sic didicerim: «Incipe a versus fine et postea retrorsum numerata ad metrum scrutandum.» Quam rationem Brennus Bishop recte iudicat parum commendandam: «Hoc redigit perceptionem pulchritudinis intimam in rationem frigidam et artem quandam calculandi» (p. 58).

Atque ad concludendum, si quis, perlecto hoc opere, adhuc dubitet de utilitate recte recitandi, auctor, iocosus ut esse solet, lectorem severe admonet huius biblicæ pœnæ: «Interrogabant eum: 'Dic ergo: Scibboleth'... Qui respondebat: 'Sibboleth', illud recte exprimere non valens. Statimque apprehensum iugulabant» (*Iudices*, 12.6). Hoc etiam est argumentum quoddam, nonne? F.D.

EPITAPHIVM & GENETHLIACON

– pepigit Anna Elissa Radke –

Epitaphium

Carinæ Graf, magistræ Austriacæ, dedicatum

Quid legam, si me subito vocabit
mors et imperabit, ut hic relinquam
vividum fontem meam et Hippocrenen,
carmina vitæ?

Spiritus divi sitiens peribo,
effluet venis mihi sanguis, et cor
corpore e lasso et simul ars poetæ
eripietur.

Carminum dulces latices alebant
Proximam morti iuvenem magistram.
Me beatam, nostrum humilem libellum illa
ultimum amavit.

Genethliacon

Sandræ Ramos dedicatum

Quidnam sustulit Hercules Minervæ?
Mala ille Hesperidum aurea abstulisse
Fertur, sed simul atque vidit extra
Europam fere et Africæ propinquam
Hanc pæninsulam ibique et hanc magistram
Natalem generosius gerentem,
Heros tum subito immemor Minervæ
Ex horto Hesperidum illa rapta mala
Dono dat tibi, Sandra, – ego addo carmen.



In hoc fasciculo !

Humanitas quid sit [G. Licoppe] p. 1
Quare viva Latinitas nobis colenda sit [F. Carciotto] p. 2
Rescriptum ad 'De hodierno Latinitatis vivæ statu' [Y. Luttinen] p. 3
Latinitas [B. Legranus] p. 3
De bono siphonario [S. Feye] p. 5
Perseverantia in errore [G. Secher] p. 7
Contra extraterrestres [M. Cristini] p. 8
Epistula de tolerantia a Iohanne Lockio conscripta [L. Willemarck] p. 10
Quid altera scripserit [T. Richard] p. 13
De Mahabharata [G. Licoppe] p. 14
Miraculum [V. Czapiewski] p. 15
Epitaphium & Genethliacon [A.E. Radke] p. 16
Bibliotheca Latina p. 16

Imago tegumenti: unum ex ingentibus geopyphis de «Nazca» vocatis (in Peruvia), quorum origo extraterrestribus a quibusdam est tributa.

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*
25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*
Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriae narrationes veste Latina indutæ. Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Derædt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*
De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*
In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Derædt
De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 12,5 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$
BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39
BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

